

**05**

**A**

**1542**





COLLEGII MORALIS

EXERCITATIO XIII.

De  
MANSVETUDINE  
ET  
VIRTUTE HEROICA.

QVAM

DEO Ter Opt. Max. Auspicante

*In Electorali ad Albim Academia*

Sub

PRÆSIDIO

DN. M. MATTHÆI Grosseri

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti  
dignissimi, Fautoris omni honoris cultu  
prosequendi.

*Academici exercitiij gratiâ*

Placidæ Dn. Collegarum disquisitioni subjicit

CHRISTOPHORUS SCHULTETUS

Neoforo Silesius.

*Ad diem 16. Aprilis horis matutinis  
loco solito.*



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCXXX.





05 A 1549



Σὺν Θεῷ.

**D**E MANSVETUDINE ET VIRTUTE *Thema.*  
HEROICA PRÆSENTI HAC DISPU-  
TATIONE acturi sumus. Quarum de præ-  
stantia & elogiis nihil præmitto: major  
quippe earum LAUS & dignitas, quàm ut  
vel à me exprimi satis, vel angusto pagellæ hujus pi-  
nacidio comprehendi possit. Sufficiat nomina sal-  
tem earundem recensuisse: *Neq; enim semper opus est*  
*vino vendibili suspensâ bederâ;* Accedo proinde sta-  
tim rem ipsam. Quod dum facio DEUS FACILI  
SIT NUMINE PRÆSTO. Sit ergo

## DE MANSVETUDINE.

### MEMBRUM I.

Όιοματολογία.

#### Thesis I.

**P**Rincipium *παιδείσεως* est vocum contemplatio, inquit Epi-  
ctetus. Et Scaliger Exerc. 3. 5 NOMINUM, ait, COGNITIO  
plurimum refert AD RERUM NOTIONEM: Nomen enim *dis-*  
*tur,* teste Festo, *quasi Novimen, à Nosco,* quod notitiam faciat. Ho-  
rum memor, prius Nomen Mansvetudinis, quippe de quâ ordo  
priori agi loco postulat, quàm ad ipsam Rei considerationem  
me conferam, evolvam. Tria autem potissimum hîc observan-  
da veniunt: Etymologia, Homonymia & Synonymia.

*Causa, cur*  
*hîc de no-*  
*minibus.*

II. ETYMOLOGIAN quod attinet: dicitur Mansvetudo à  
*Mansvetus,* quod vocabuli componitur *ex manu & svetus,* ut sit qua-

*Etymolo-*  
*gia.*

si manui assuetus, seu *suetus ad manum accedere*, & manuum patiens esse, ut ait Maro. *Hinc mansuetæ feræ dicuntur cicures*. *Cicurare* enim, juxta M. Varronem, antiquis *idem erat ac mansuescere*. Ut ita vox hæc desumpta esse videatur, à cicuratione brutorum, quæ frænis edomantur, ut homo pro libitu manu suâ flectere eadem & regere possit.

*Homonymia.*

*Impropriè.*

1.

2.

3.

*Propriè.*

*Synonymia.*

III. *Ὁμοθυμία* Mansuetudinis VARIA est: Tribuitur enim  
 1. *Brutis animalibus* quibuscunque quæ vel *domi nutrire* consuevimus, vel *societate hominum gaudent*, vocantur aliàs *cicura*, quibus contra distinguuntur reliqua animalia, quæ in silvis oberrant.  
 2. Sumitur pro *Lenitudine*, quæ aliàs in defectu peccat. Et 3. denotat *Virtutem*, quæ Aristoteli *μεσότης ἐπὶ ὀργῶν*, *mediocritas circa iras* dicitur: & hæc acceptio hujus loci propria est.

IV. SYNONYMIAM quod concernit: Vocatur Latinis *Humanitas, Facilitas, Placiditas, Placabilitas, Clementia*. Græcis, ut Aristoteli lib. 4. Eth. dicitur *πραΐτης*. Aliàs etiam *πραγμένηα* & *ἡπιότητα*; item *χειροθήα* vocari potest: Nam, licet τὸ *χειροθήες* propriè de animalibus mansuetis & cicuribus dicatur; impropriè tamen & permissu Metaphoræ Demosthene & Xenophonte autoribus, etiam hominibus tribui potest.

## MEMBRUM II.

*πραγματολογία.*

*Definitio.*

V. Ad Nominis intellectionem quæ conferunt, jam vidimus; proximum nunc est, ut ad ipsam DEFINITIONEM nos accingamus. Ponimus autem cum Clarissimo Gutk. talem: **MANSVETUDO EST VIRTUS RECTE COMPONENTENS IRASCENDI APPETITUM, UT IN ATTINENTIBUS AD IRAM ET VINDICTAM CONSTANTER PRÆELIGAT, QUOD DECET.** Ubi duo considerata sunt: Genus & Differentia.

*Genus.*

VI. GENUS est *Virtus*. Quod enim Mansuetudo virtus sit, non est quod operosè hic de argumentis, quibus id stabiliatur, solliciti simus: Neminem enim fore existimo, qui negare hoc sibi sumere audeat, si *Virtutis saltem naturam & definitionem*, quam  
 Aristote.

Aristoteles 2. Ethic. cap. 7. lib 6. cap. 2. & 13. exponit, *consideraverit*, quam exactè huic congruam & competentem deprehendet.

VII. DIFFERENTIAM absolvunt reliqua verba; quæ de- *Differen-*  
sumta sunt partim ab Objecto, partim ab Officio hujus Virtutis; *tia.*  
Ista ergò ut eò rectius intelligi possint, necessitas omninò requi-  
rere videtur, quo & objecti & officii considerationem institua-  
mus.

VIII. Est autem OBJECTUM vel Internum vel Externum. *Objectum.*  
INTERNUM, Keckermanno Immediatum dictum, est *Internum.*  
*Ira seu ap-*  
*petitus irascendi*; Notandum vero *iram hic non considerari quatenus*  
*denotat* habitum illum vitiosum, & aliàs Iracundiæ nomine ve-  
nit: ita enim non est objectum Mansvetudinis, sed ei planè oppo-  
nitur, nec tam moderatione quàm eradicatione ipsâ indiget; sed  
intelligitur hîc Ira illa, quæ est *affectus animi*, & circa cor ex san-  
guinis accensione, tanquam *causa interna*; propter *injurias* &c. tan-  
quam causis externis, oritur. Et hæc per se bona; moraliter, ne-  
que bona neque mala, nisi prout vel plus vel minus respicit, atq;  
adeo vel in extremis vel in mediocritate constituta est.

IX. EXTERNUM objectum est *Vindicta seu Pœna injuriarum,* *Externum.*  
*offensionum, contumeliarum, damnorum,* & quæ sunt id genus alia,  
quæ & iram in animo hominis provocant, & meritò justam ani-  
madversionem merentur; In vindicta itaque sumenda ne fortè  
modus excedatur, iram MANSVETUS prudenter refrænât &  
moderat, PROBE prius secum PONDERANS tum CAUSAS, *Modus ve-*  
propter quas irasci possumus, tum Circumstantias certas, quæ *rus consistit*  
pro suâ qualitate & conditione, iis quæ suscipiuntur aut pera- *in conside-*  
guntur, magnum semper vel decoris vel vitii momentum affe- *ratione.*  
runt: *(1) Causa-*

X. In Causis enim & circumstantiis omne Mansveti officii *rum de*  
um consistit; ideoq; illarum semper diligentissimam rationem *quibus in*  
haberi oportet. Spectantur autem Causæ seu Res, ob quas irasci *Genere:*  
possumus & jure debemus, vel Generaliter vel Specialiter. IN *si enim*  
GENERE videndum, qualiter debeant esse comparatæ: Nimi- *rum i.*  
rum i. Non SINT incertæ sed CERTÆ ET INDUBITATÆ: *nam i.*  
Nam mansvetus non est, qui alteri succenset ob id, de quo, quali- *ter*

2. ter se res habet, adhuc dubitat. 2. Non sit levis & parvi momenti,  
 3. sed GRAVIS ET ARDUA. 3. Non sit causa jam antè amicabili  
 compositione seu transactione finita.

Specie sunt  
 vel  
 Primariæ  
 scil.  
 1. Spirituales.

1.  
 2.

Exempla.

2. Temporales.

1.

2.

3.

4.

5.

Secundariæ.

(2) Circū-  
 stantiarum,  
 ubi.

1. Res per-  
 sonæ scil.  
 Malus; Non  
 verò.

XI. Causæ SPECIALITER consideratæ vel sunt Primariæ  
 vel Secundariæ. PRIMARIÆ concernunt vel RES spirituales vel  
 Temporales. SPIRITUALES concernunt: *Religionis depravatio,*  
*Blasphemia in Deum,* & similia quibus Nomen Dei sanctissimum  
 prophanatur. Ejusmodi justas irascendi causas habuerunt,  
*Christus Salvator noster,* ubi Vendentes & Emendentes ex Templo  
 Hierosolymitano expulit, eò quod ex Domo Dei speluncam La-  
 tronum fecerant, Matth. 21. v. 13. Item *Elias,* qui Sacerdotes Baali-  
 ticos interfecit, 1. Reg. 18. v. 40. & c.

XII. TEMPORALES sunt 1. PATRIA, quæ dulcedine cun-  
 ctos ducit & immemores non sinit esse sui, ita ut etiam svave sit  
 pro Patria mori. 2. FAMA: Nam *omnia si perdas tamen hanc servare*  
*memento,* quâ semel amissa postea nullus eris. 3. LEGES, pro qui-  
 bus, ut Heraclytus dicere solitus fuit, non minus, quam pro mœ-  
 nibus pugnari oportet, quod *absq; legibus nullo pacto possit esse civitas*  
*incolumis,* absq; mœnibus possit. 4. LIBERTAS quam nemo bo-  
 nus, nisi cum anima simul, amittit. Salust. de Conjur. Catil.  
 5. PARENTES: quippe *Deorum & Parentum violatio,* juxta Valer.  
 Max. *parem meretur vindictam.*

XIII. SECUNDARIÆ sunt & minus Principales, quæ BO-  
 NIS FORTUNÆ nostris damnum inferunt: Hæc enim cum non  
 tam magnum in se contineant momentum, ac ea, quæ vel cultum  
 divinum, vel honestatem nostram & bonam famam concernunt;  
 sed *facile diligentia & labore restitui nobis possunt & resarciri,* non tam  
 magni etiam æstimanda sunt.

XIV. CIRCUMSTANTIÆ porrò, quæ observandæ veniunt  
 Mansveto, sunt 1. RES SEU PERSONÆ. 2. Modus, 3. Tempus.  
 Primam quod attinet ipsi notandum est: Quibus sit irascendum  
 & Quibus non sit. Irascendum est Improbis & MALIS, &  
 quos scelerum suorum perpetratorum nec pudet nec poenitet.

XV.



XV. Non irascendum est. 1. Rebus inanimatis aut brutis etiam animantibus, quæ omnirationis gyro sunt destituta: Quid enim dementius est, quàm bilem in homines collectam in res & animantia omni iudicio vacantia effundere? quæ nocere nobis quidem possunt, at injuriam inferre minime valent: Nulla enim injuria nisi à consilio perfecta.

1.

XVI. 2. Non mortuis: turpe enim est hoc & temerarium. Non infantibus & pueris: quia adhuc nesciunt, quid agunt. Non Furiosis aut mente captis, quorum nullum est iudicium. Non is qui per imprudentiam delinquit, & facti pœnitentia ducti culpam serio deprecantur. Non is qui ex pravâ animi consuetudine nemini parcit. Hic enim potius cum Aristippo abeundum est & cogitandum, ipsos quidem habere potestatem maledicendi, non audiendi vero nos. Nec denique illis, qui de nobis bene merentur aut domini præminentia & officio nobis superiores sunt, ut Magistratus, Parentibus, Verbi divini Præconibus vitia taxantibus, Præceptoribus.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

XVII. MODUS in sequentibus consistit. 1. Cavendum ne ita ira prædominetur, ut aliis inde inferatur injuria; sed semper ad honestatem tanquam Regulam quandam & Normam affectus hic turbulentissimus dirigendus est. 2. Ne quid committatur, quam primus iræ fervor deferbuerit, sed Athenodori potius præceptum observetur, quo Cæsari Augusto consuluit, ut ne quid diceret faceretve, antequam Græcarum literarum 24. apud se recensisset. 3. Non prævaleat vindictæ cupiditas rectæ rationis dominio. 4. Pœna non excedat delicti magnitudinem. Culpa enim & pœna æquis passibus ambulare debent. Huc pertinet illud Ciceronis, ubi i. Offic. Prohibenda est, inquit, maxime ira in puniendo. Nunquam enim iratus, qui accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum. Cavendum igitur, ne major sit pœna, quam culpa.

2. Modus, ubi.

1.

2.

3.

4.

XVIII. Tertia Circumstantia est TEMPUS, ubi duo bene notanda sunt: QUANDO sit irascendum, & Quamdiu. Illud postulat. 1. Ut ne nimis citò irascamur. Oportet enim

3. Tempus, ubi.

Quando,

hic.

enim 1.

enim causam prius exploratam & benè cognitam esse, ne quid committamus, cuius nos serò deinceps & frustra poeniteat. 2. Nec nimis tarde, præsertim in delictis gravioribus & sat manifestis. 3. Non in convivio & tempore lætitiæ, hoc enim rusticorum est. 4. Non in consultationibus feriis, duo enim, quod Bias unus septem Sapientum, referente Laërt. dicere fuit solitus, bono consilio maximè contraria sunt, Festinatio videlicet & Iracundia: homo enim iracundus cum extra se ipsum sit, vacuus est omni consilio. Et denique 5. Ne tunc eum puniendum, quia hoc crudelitatis certissimum argumentum est. Ubi tamen prohibetur ira saltem affectata, non officiosa, ut Clariss. Gütkius loqui amat.

Quamdiu,  
hic obser-  
vetur.

1.

2.

Extrema.  
Excessus.

Huius spe-  
cies.

1.

XIX. Hoc, scilicet QUAMDIU, præcepta sequentia observari vult. 1. Ne diu ira foveatur, ne in furorem & odium desinat. Odium enim nihil aliud est, quam ira inveterata, juxta Cic. lib. 4. Tusc. q. Notatu dignum est illud Aristotelis, quod lib. 2. Rhet. cap 21. extat; Iram immortalem, ait, cum sis mortalis ne serva. Et Paulus ad Eph. 4. hortatur, ne Solem super iram nostram occidere patiamur. 2. Oblivione deleatur causa que iram provocavit, ne recurrente causa simul recurrat effectus. 3. Ea que ansam præbent irascendi, sedulo antevertantur.

XX. Nunc ad EXTREMA Mansuetudinis venimus, quæ sunt Iracundia & Lentitudo. Illud in EXCESSU; hoc in defectu peccat. EST autem IRACUNDIA vitium, quo plus quam decet irascimur. Græcis dicitur ἀργιλότης. DIFFERT hæc AB IRA, quod ira sit affectus & motus animi, iracundia vero habitus vitiosus. Vel ut Donato placet; quod ira sit ex causa, iracundia ex vitio multum irascentis. Unde sicut ebrius ab ebrio, sic iracundus ab irato differt. Quanquam hoc discriminis vulgo non adeò observari soleat, sed sæpius pro iisdem usurpentur. Comprehen- dit autem tres sub se Iracundia SPECIES, Excandescentiam, Amarulentium, & Crudelitatem.

XXI. EXCANDESCENTIA est Iracundia, quâ subito ob leves causas, plus quam decet, iræ indulgemus, subitoq; iterum placamur. Vocatur Gr. ἀνερχολία, ἀχολή, h. e. bile & ἐν τῷ ἀνεῶ, id est, in Summo, eò quod laborantibus hoc vitio, bilis quasi in summo

Summo cordis nate. Itaq; qui affecti sunt eodem, uno quasi impetu omnem suam iram effundunt, & sic sese ipsius onere levant. Unde etiam *tolerabilius vitium hoc*, respectu reliquarum duarum Iracundiæ specierum, iudicatur.

XXII. AMARULENTIA, Gr. *ἠμερότης & ἠμερία*, est iracundia, quâ tardè quidem irascimur, sed iram semel conceptam, tam diu & occultè alimus, donec vel vindicta facti simus compotes, vel temporis morâ iterum illa evanescat. Vocatur aliàs *ira inveterata*, seu tempore corroborata, & odii plena. Laborant hoc vitio *Melancholici*, quos vocant amaros, implacabiles, acerbos. Vide Admodum Rev. Dn. D. Jac. Mart. lib. 2. Syst. Eth. cap. 18. 2.

XXIII. CRUDELITAS, Græcis *βαρυσυμία, ἀγριότης χαλεπότης*: est iracundia aperta & pertinax, quæ absq; vindicta extraordinaria placari nescit. Latinis aliàs etiam Implacabilitas, Difficultas, Feritas. Germanis, *Grimmigkeit / Grausamkeit* dicitur. Et hæc Tyrannis familiaris est, ut constat exemplo Neronis, Herodis & aliorum. 3.

XXIV. Alterum Extremum Virtutis hujus, quod in DEFECTU peccat, nominatur LENTITUDO, Græc. *ἀοργησία*. Estq; vitium, quo minus, quam decet irascimur. Hoc est, qui vitio huic sunt obnoxii, ii etiam si causas vel justissimas irascendi habeant; tamen vel quia *honestatis & turpitudinis nullam ducunt rationem*, vel quia *abjectioris sunt animi*, quam ut sceleribus indignari audeant, tanquam nihil sentientes, minime omnium commoventur: & id genus homines simul *fatuitate, servilitate & mollitie semper sunt infecti*. Defectus.

XXV. Potest DISPESCI Lentitudo in *Generalem & Specialem*. Illa in omnibus hominum statibus locum habet, quâ nimirum quisque minus, quam decet, irascitur. Hæc Indulgentiam Parentum & Magistratûs conniventium ad delicta quævis, sibi appropriat. Vide Rev. Dn. D. Jac. Dividitur.

Mart. l. d.

B

MEM-

## MEMBRUM III.

ἐναντιολογία.

## Quæstio I.

*Utrum, qui EX IRÆ CALORE alteri INJURIAM  
vel damnum INFERT, SIT EXCUSABILIS?*

R. *Distin-  
guendo in-  
ter causam  
iræ.*

DISTINGUIMUS inter Calorem iræ EX LEVI aliqua CAU-  
SA naturæq; vitio profectum; & inter Calorem iræ ex JUSTO  
ANIMI DOLORE ortum. Ex hoc, si quis delinquat, eum  
delicti si non veniam, *certè pœna mitigationem* mereri, rectè statui-  
tur: siquidem nihil difficilius est, quàm justum animi dolorem  
temperare. Contrà ex illo, si quis alterum injuriâ aut damno  
afficiat, *is tantum abest ut excusationem mereatur*, ut potius duplici  
culpæ fiat obnoxius. Cum enim vitium vitio excusari non possit,  
imò *omne vitium per se reprehensionem incurrat*; culpandus sanè isti-  
usmodi homo erit, tum propter delictum ipsum, tum quoq; pro-  
pter iram nimiam & injustam; cui fræna laxari minime omnium  
fas erat.

## II.

*An Clementia & Mansuetudo DISTINCTÆ  
sint virtutes?*

R.

Non desunt quidem, qui affirmativæ sententiæ calculum  
addunt, permoti, quod Mansuetudo circa Iram, Clementia vero  
circa Pœnas occupata sit, adeoq; utraq; suum diversum habeat  
objectum; Verum nobis cum Clarissimo Libenthalio contrari-  
um tueri libet, qui *distinguendum esse statuit, inter Objectum Man-  
suetudinis Internum, quod est Ira, & inter externum, quod Pœna est  
seu Ultio.* Constat enim iram non tantum internè, verum etiam  
forinsecè in constitutione videlicet Pœnarum, ubi ne fortè æqui-  
tatis limes transiliatur cavendum, moderandam esse. CON-  
CLUDITUR proinde Mansuetudinem & Clementiam inter se  
DIFFERRE non usu artis, sed USU LOQUENDI, ut loquitur  
laudatus Libenthalius, hoc est, unam esse eandemq; virtutem,  
saltemq; distinctionis gratia & diverso respectu, modò Mansue-  
tudi-

rudinem, modò Clementiam vocari, prout scilicet vel internum,  
vel externum objectum respicitur.

### III.

*Utrum IRACUNDIA sit DETERIUS vitium,  
quam Lentitudo?*

Quamvis utraq; æquè detestanda sit; nihilominus tamen,  
cum ea vitia semper deteriora judicemus, circa quæ homines fre-  
quentius peccare solent, meritò hoc nomine IRACUNDIA Len-  
titudine DETERIOR esse dicitur; præsertim cum & Lentitudo  
magis communi hominum societati & consuetudini accommo-  
data esse videatur, quam Iracundia, quâ qui laborant cum illis nemo  
libenter conversatur. Et hæc ita sese habent verissime, si de personis  
privatis intelligantur; sin vero ad Magistratum quæstionem hanc  
direxeris, tunc contrarium fortasse verius erit.

### MEMBRUM IV.

*Ἀξιωματολογία.*

1. Mansuetudo est motus animi, utrumque mundi statum æquali  
lance pensans. Cic. off.
2. Magni custos clementia mundi. Claud.
3. Nec nimis citò, nec nimis tardè.
4. Iracundiam qui vincit, hostem vincit maximum.
5. Non est querendum utrum quis irascatur, sed quamobrem irasca-  
tur. August.
6. Injustus est, qui depositis armis, mentem retinet armatam.  
Senec.
7. Ira vitium muliebre & puerile. Senec.
8. Intempestiva misericordia erga lupos, est crudelitas adversus oves.

Tantum de Mansuetudine; Sequitur

B 2

DE

# DE VIRTUTE HEROICA

## MEMBRUM I.

Ὄνοματολογία.

### Thesis I.

Derivatio.

Virtutibus moralibus haecenus pertractatis, merito earum nunc quoque subnectitur splendor & Eminentia, quam speciali nomine VIRTUTEM HEROICAM appellant. In cujus consideratione iterum ante omnia evolvenda occurrunt, NOTATIO, Homonymia & Synonymia.

II. Dicitur autem Virtus heroica vocabulo ex Graeco idioma te adscito, & quidem ratione subiecti, ἀπὸ τῆς ἡρώ, quod videlicet in solos Heroes cadat, qui veteribus non pro nudis hominibus, sed pro divinis hominibus, θείοις ἀνθρώποις, seu ut Hesiodus loquitur, ἡμιθεοῖς habebantur: Unde Lucianus in Dialogo 3. scribit, ἡρώς ἐστὶν ὁ μήτε ἀνθρώπος ἐστὶν μήτε θεός, καὶ συναμφοτέρῃν ἐστὶν, hoc est, Heros est, qui neque homo neq; Deus, sed simul utrumq; est.

III. Varii VARIE vocabulum ἡρώς à quo ἡρωικὴ denominatur, derivant. Nonnulli deducunt ἀπὸ τῆς ἀρετῆς à virtute. Quidam ab ἀήρ, Aër. Alii ab ἔρως à terra. Reliqui ab ἡρᾶ, hoc est, à Junone. Sed omnium optima Derivatio est, iudicio ferente Keckermanno, ἀπὸ τῆς ἐρώ, quod amor & studium virtutis in Heroicis naturis sit vehemens, quam etiam Etymologiam Plato tradit in Cratylo. Vide Keckerm. Syst. Eth. lib. 3. cap. 5.

Homonymia.

1.

2.

Proprie.

Synonymia.

IV. Quod porro ad HOMONYMIAM, sciendum est, dupliciter potissimum Virtutem Heroicam accipi. 1. ἁπλοῶς sive generaliter, pro qualibet virtute eminente, aliasq; eccellente, ut Magnificencia est & Magnanimitas. 2. εἰδικῶς, specialiter pro Virtute Heroica proprie dicta.

V. SYNONYMIA adhuc superest. Dicitur ergo virtus hæc Aristotelis τιμωτέρῃν ἀρετῆς, præstantius quid virtute: item ἢ ἢ πῆρ ἡμᾶς ἀρετὴ ἡρωικὴ καὶ θεία Virtus quæ supra nos, Heroica & divina; Meretur ideo sic vocari, quod, qui eam præditi sunt,

sub

sublimiorem, quam quæ aliis hominibus est communis, eleven-  
tur ad conditionem, & adeo Deo quasi reddantur similes. Ean-  
dem ob causam salutatur quandoq; etiam *Affectio divina*. Tantum  
de *ὀνοματολογία*.

## MEMBRUM II.

*πραγματολογία.*

VI. Remotis itaq; iis, quæ propriam Nominis significatio-  
nem anticipem reddere poterant, & contra ejusdem vim genui-  
nam expedientia, productis; accessum nunc facimus ad Rem  
ipsam, ubi sequentia consideranda erunt; Nempe, Definitio,  
Causæ, Divisio & Opposita.

VII. DEFINITUR Virtus Heroica, quod SIT VIRTUS DI- *Definitio*  
VINITUS QUIBUSDAM HOMINIBUS CONCESSA, QUIA  
EXPEDIANTUR EA, QUIBUS ALIOQUIN HUMANÆ VI-  
RES PARES ESSE NEQUEUNT. Definitio hæc, uti omnis  
alia, resolvitur in Genus & Differentiam.

VIII. Conceptus Determinabilis seu GENUS constituitur *Genus*  
*Virtus*: Quia enim neq; *objecto* neq; *sine*, quæ Differentias virtutum  
pariunt, à communibus reliquis differit, sed saltem per magis & minus,  
seu ut calor à tepore, ideo rectè etiam eodem hoc genere insigni-  
tur. Nota autem quod hic nulla committatur *ταυτολογία*,  
quando dicitur, Virtus Heroica est Virtus. Quia enim una vox,  
qua Virtus hæc insigniri potuisset, nulla datur, *resarcitur iste defe-*  
*ctus differentia cuiusdam additione ad genus*, ut unus exinde conce-  
ptus fiat, uti & in aliis sæpè usu venire videmus. Sic dicitur Sa-  
cramentum Altaris est Sacramentum in quo &c.

IX. DIFFERENTIA seu conceptus determinans duo in se *Differen-*  
*comprehendit* 1. *Causam efficientem*. 2. *Finem* ubi simul *Materia* & *Ra-*  
*tio formalis* involvuntur. Illam indignant verba hæc: divinitus  
quibusdam hominibus concessa. Hic reliquis Definitionis ver-  
bis exprimitur, ubi dicitur: quæ expediuntur ea, quibus alioquin  
humanæ vires pares esse nequeunt.

X. CAUSA itaq; EFFICIENS Virtutis Heroicæ est vel Prima *Cause*  
vel Secunda. PRIMA dicitur esse *ipse Deus* ejusq; *specialis actus*. Ne- *Efficiens*  
cesse

cesse enim est ut Deus peculiari quodam afflatu Hominis naturam irroret, quo animata quasi & perfecta proponat sibi altissima, nec non ob id oportunitates nanciscatur & successus sui propositi felicissimos, qui aliis hominibus non contingunt. Unde recte Cicero ex Platone dicit; Nullum unquam virum magnum extitisse, sine peculiari afflatu divino.

2. XI. *Causa efficiens SECUNDA sunt Intellectus practicus & voluntas, Temperamentum bonum, & bona corporis dispositio, Electio, Actio, Labor constans, Impetus naturalis & bona institutio. Vide Rever. Dn. D. Jacob Mart. Syst. Eth.*

*Materia.* XII. *MATERIA est vel In qua vel Circa quam. IN QUA seu subjectum est Appetitus sensitivus. Nam cum Virtus hæc non specie sed gradu saltem à reliquis virtutibus diversa sit, utiq; nec diversum ab iisdem subjectum habere poterit.*

*Objectum.* XIII. *Materia CIRCA QUAM est vel Externa vel Interna, INTERNA sunt Affectus. EXTERNA est reliquarum virtutum objectum, sed excellentius & tale comprimis, in quo magnum publicæ utilitatis & salutis momentum est positum.*

1.  
2.

*Forma.* XIV. *FORMALIS ratio consistit in eo, ut facinora quis edat heroica, hoc est, talia quæ superant conditionem humanam; Ubi proinde non sufficit, aliquem magna meditari & moliri, sed oportet etiam ipsum meditata constantissimo animo, nec absq; felici successu emoliri: Hæc enim tria hîc semper REQUIRUNTUR 1. Impetus quidam admirabilis seu RAPTUS DIVINUS. 2. Summa in proposito CONSTANTIA, & 3. Successus secundissimus; quæ nisi adsint, nec virtutem Heroicam verè adesse dicere poteris.*

*Requisitum.* XV. *FINIS specialius sumptus est, accedere proximius ad Dei similitudinem. Quod triplici fit modo, pro triplici consideratione Dei. Consideratur enim Deus 1. In se, ut est purissimus & simplicissimus actus. 2. In respectu ad Creaturas, ut earum est Creator. Et 3. pro ut est earundem Imperator & Director. Primo modo homo ipsi similis fit, dum per virtutem hanc bonus efficitur, & à terrena fæce depuratur, ut simplex fiat, hoc est, ut corpore neglecto vitam vivat mentis. Altero, dum Urbes condit, respub. format, justiciam servat. Ultimo, quatenus servat mandata Dei, ad eius imitationem leges figit, homines regit iisq; præest. Vide Piccol. Grad. 6. cap. 15.*

1.  
2.  
3.

*Finis.* XVI.



XVI. Virtus hæc ANALOGICE DIVIDITUR in Divinam & Humanam. DIVINA illuxit in sanctis Dei hominibus, quales fuerunt, Abraham & Jobus, quorum ille propter summam suam fidem, hic propter maximam suam patientiam hujus virtutis insignia gerit. HUMANA rursus dispescitur ἀναλογικῶς in intellectualem & Moralem, inter quas posterior tantum verè & propriè Heroica dicitur.

Dividitur  
analogicè  
in  
Divinam.  
Humanam.

XVII. EXTREMA sunt in EXCESSU Feritas Gr. ἠεροτης, quæ est vitium summum, quo homo excusso rectæ rationis iudicio, ac omni humanitate abjectâ, in cœno omnis libidinis & turpitudinis instar belluæ volutatur. Piccolomineus vitium hoc Cerbero, de quo Poëtæ fabulantur, confert, quod, quemadmodum ille triceps esse dicitur, ita & vitium hoc tria quasi capita infestissima, totidemque fauces humanæ conditionis voracissimas habeat, Prophanitatem nimirum, Immanitatem, & Tyrannicam impietatem, quarum illa nos à Deo avertat, altera à Charitate proximi nos exuat, hæc pietatem erga Patriam pervertat. Piccol grad 6. cap. 13.

Extrema.  
Excessus.

XVIII. In DEFECTU est Ignavia summa, quæ est vitium quo reddimur ad o-  
tutis impetum. Vitium hoc uti pestimum est, ita apud Sibaritas tamen fuit frequentissimum, qui istiusmodi legem tulerunt: Nemo nostram frugi esto.

Defectus.

### MEMBRUM III.

Ἐναλλογία.

#### I. An Virtus Heroica etiam IN FOEMINAS cadat? Aff.

1. Quia Fœminæ non minus sunt vasa gratiæ divinæ, quàm viri. 2. In neminem cadunt vitia, in quem virtus cadere non potest, At in Fœminas cadunt vitia virtuti huic contraria, Ergo & ipsa Virtus in easdem cadere potest. 3. Non desunt experientie testimonia evidentissima: Quis enim negaret Amazonum Reginam Penthesileam hæc virtute non fuisse præditam? Quis privare audeat Elisabetham Reginam Angliæ, cujus & ingenii aciem & animi magnitudinem nemo unquam satis mirari potest, virtutis hujus præconiis. Interim virtutem Fœminarum Heroicam à Virorum quo ad  
quan-

quantitatem tum continuam tum discretam non parum differre inficias ire non possumus. Continua enim quantitate tantum præcellit virorum virtus virtuti mulierum, quantum Sexus fæmineus infra masculinum subsistit. Discretâ vero differt, quia multo rarior est in fæminis quam Viris.

## II. UTRUM Virtus Heroica IN MEDIO posita sit?

In medio posita est, non ratione termini, quatenus Extremum & Complementum reliquarum virtutum dicitur, sed ratione Virtutis, quatenus quis omni humanitate exutâ animum ad turpissimâ quæq; & sceleratissima à quibus alias humana natura abhorret, adpellit.

## III. Utrum Virtus Heroica etiam cadat IN PUEROS?

Videmus quidem tempestivè se prodere indolem heroicam, tamen cum non facilè prorumpat plenè, nisi perfectò jam rationis usu, & corporis organis, quorum hîc opus ministerio, consolidatis, virtus Heroica puerorum propriè non erit, sed τῶν ἀκμαζόντων.

### MEMBR

Ἀξιωματολογία.

1. Virtus Heroica est excellentia & eminentia virtutis, quæ humanam transcendit imbecillitatem & ad Deum quàm proximè accedere videtur.
2. Heros itaq; est, qui virtutis eminentiâ & perfectione hac in vita supra conditionem humanam elevatur.
3. Virtus Heroica & medietas & eminentia est.
4. Vera virtus Heroica non in piis tantùm sed etiam bonis in viris extra Ecclesiam.
5. Heroës omnium sunt temporum & ætatum.
6. Nobilitas propriè accepta cum virtute Heroica coincidit.
7. Bona fortunæ non tam constituunt quàm illustrent & ornant nobilitatem.
8. Heroum exitus non rarò tragicus & funestus.

Pro hisce tibi ô Trinine DEUS.

Laus, Honor & Gloria.

05 A 1542


ULB Halle 3  
003 778 762



V077







COLLEGII MORALIS  
EXERCITATIO XIII.  
De  
MANSVETUDINE  
ET  
VIRTUTE HEROICA.

QVAM  
DEO Ter Opt. Max. Auspicante  
*In Electorali ad Albim Academia*

Sub  
PRÆSIDIO  
DN. M. MATTHÆI Grosseri/  
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti  
dignissimi, Fautoris omni honoris cultu  
prosequendi.

*Academici exercitiij gratiâ*

Placidæ Dn. Collegarum disquisitioni subicit

CHRISTOPHORUS SCHULTETUS  
Neoforo Silesius.

*Ad diem 16. Aprilis horis matutinis  
loco solito.*



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCXXX.